



DE  
PRAECONVM APVD GRAECOS  
OFFICIIS  
DIATRIBE

CK215

QVA  
VIRO

MAXIME REVERENDO DOCTISSIMOQVE  
IOANNI CHRISTOPHORO  
SILCHMULLERO

SERENISSIMI MARCHIONIS BRANDENBURGICO-CVLMBA-  
CENSIS A CONSILIIIS SACRI SENATVS ET PRAESVLI DIOECEOS CVLM-  
BACENSIS LONGE MERITISSIMO INSPECTORI LYCEI  
QVOD CVLMBACI FLORET GRAVISSIMO

PATRONO SVO AETERNVM VENERANDO

DE  
NVPTIIS

MENSE MAIO MDCCCLX  
CVLMBACI CELEBRATIS  
PIE GRATVLATVR

THEOPHILVS CHRISTOPHORVS HARLES

CVLMBACO-FRANCVS SS. ET LL. DD. C  
SOCIETATVM LATINAE IENENSIS SODALIS ORDINARIVS  
ET TEVTONICAE ALTORFINAE HONORARIVS.

IENAE LITTERIS SCHILLIANIS.

PRÆTORIVM ARVD GRÆCOS  
OFFICIIS  
DIAETRIE

MAXIME REVERENDO DOCTISSIMOQVE  
IOANNI CHRISTOPHORO  
SILCHMULLERO

REVERENDISSIMO PATRONO SVO ANSERIVM VENERANDO  
PATRONO SVO ANSERIVM VENERANDO

M V L L I S  
CUM MACTO ET ERATIS  
THEOPHILVS CHRISTOPHORVS HABES

SOCIETATVM LATINARVM VNIERSIS SOCIIS OPERARIIS  
ET THEOPHILVS ALTHORIAS HONORARIIS  
LEXAT LITTEIS SCHINLIANIS



VIR  
MAXIME REVERENDE  
FAVOR PLVRIMVM SVSPICIENDE!



acram TIBI hanc commentatiunculam cur iubeam, multae sane sunt rationes, eaeque grauisssimae. A quibus enim paene tot tantaque in nos profecta sunt beneficia, quanta a parentibus; iis omnino tanta debetur pietas, tanta gratiarum actio. Quid igitur multa? A Deo si discessero, TV

*unicus* auctor es suasorque, vt me, inuitis quidem primum parentibus, litterarum consecrem studiis. Quum TVO consilio a plebe inculta disiunctus sim illiterataque, quod magnum Dei accipio beneficiũ, quanta iam gratiarum actiones habendae TIBI forent, agendaque? At vero consilio TVO optimo addidisti adiumentum subleuamentumque. Per integrum sexennium *Liberis* TVIS, quorum nomina nunc colo, et qui b. fratrem meum litterarum momentumque habuerunt moderatorem, in addiscendis litteris sacris aeque ac profanis adiungi me socium permisisti. Academiam cogitantem, testimoniis et commendatiis ornasti grauioribus, quae magnum semper habuerunt ponderis; et quancumque adibam litterarum mercaturam, ibi

auctoritate TVA, beneficioque adiutus sum, atque sustentatus, aliis, quae in me mire atque abundanter contulisti, missis beneficiis. Haec sane diu vellificarunt aurem, TIBI mentem meam gratam piamque pro eo, ac iustum est, publice declarandi. Pudor vero et virium exiguarum conscientia a meo me officio huc usque, nescio an recte? deteruerunt. Neque tamen diutius possum me temperare, licet virium adprime sentiam tenuitatem, quin TIBI diem terque quaterque felicem, qui illum ob obitum coniugis TVAE lectissimae, quam summam veneratus sum fautricem, tristissimum, excepit, pie religioseque, licet tardius gratuler. Mihi ipse ingratus, funestaque illa littera iure notandus viderer, nisi vota votis TVORVM adderem gratulabundus. Euge TIBI, VIR VENERANDE, OPTIMAEQVE TVAE CONIUGI! vos virium integritas hilaret! vos ad extremum senectutis quies, laetitia, voluptas, omniaque, quae fausta feliciaque euenire possunt, copulent, comitentur! SVA-VISSIMA TVA CONIUX TVAS curas leuet molestiasque; senectutem iam crescentem oblectet; secundas res ornet; aduersis per fugium ac solatium praebeat; delecet domi; curet res TVAS foris; decoret familiam TVAM amplissimam; viuat tecum laeta; floreat. Vige VIR MAX. REV. viribus iuuenilibus ad vltimam vitae metam. Pro TVA TVORVMque salute ad sidera flectam genua. Vale. Scrib. Ienae, prid. Calend. Quintil. CIOICCLX.

NOMINIS TVI  
MAXIME REVERENDI

cultor obseruantissimus

THEOPHILVS CHRISTOPHORVS HARLES.



DE praeconum apud Graecos officiis argumentum, quum augustum sane deprehenderem, multumque ad illustranda haud pauca veterum scriptorum loca facere; neque tamen vllius industriam satis defatigatam in hoc tractando existimarem, in nonnullis commentatiunculis, ea, quae haud inutilia putavi, censurae atque iudicio eruditorum subicere non dubitavi. Quae quum in animo haberem, meamque sententiam praeterlapso anno communicarem cum Viro quodam celeberrimo, is Argentorati, quae videntur dicenda, ea in quadam disputatione iam paene esse exhausta mihi declaravit. Diu, at frustra hunc libellum apud alios quaesivi, donec eius mihi hic loci copiam fecit Vir quidam, cuius virum eruditionem humanitati, an hanc illi praeferam? plane haesito. Quo quidem accepto, perlectoque studiose *a*) relictum iam tractandi argumentum non quidem resumere; sed hac oblata occasione, mihi gratissima, spicilegium quasi quoddam addere, non ad ostentandum, sed pietatem Viro Vener. cui haec scriptiuncula sacra esto, ab ineunte mea aetate ipsi cognitam, publice testificandam, mecum

A 3

*a*) Disp. philol. de praeconibus, eorumque apud Graecos praecipue officiis. quae Praef. V. C. SCHERRERO a

V. C. I. M. GAMBS Argentorati  
C1910CCXXXV. ventilata est.

mecum confitui. In hac enim laudata dissertatione, quamquam multa erudita paucis continentur paginis, tamen, tantum abest, ut omnia de mysticis cerycibus *b)* et de praeconibus sint tradita, ut potius multa sint leuiter tacta, aut plane omissa, quod inspectio ipsa perlustratioque docebit. Ne tamen nimis vagari extra oleas videar, ad rem pertractandam statim me accingam. Me vero de officiis horum hominum acturum, munia Cerycum mystica a ZEIBICHIO *c)* V. C. iam enucleata omittere ex inscriptione commentatiunculae, iisque, quae infra dixi, nemo non perspiciet. Neque vero de praeconum ordine contemto *d)*; sed de officiis illorum differam amplissimis, quae auctoritate publica obiere, quaeque magnam ipsis auctoritatem pararunt et dignitatem. Ideo etiam, quum laudati scriptores bene multis veterum testimoniis originem *e)* eorum, etymologiam, synonymiam, *f)* homonymiam atque pronuntiationem *g)* iuerunt accuratius probatum, quam multi alii *h)* qui

*b)* Vocabulum κήρυκος non semper posse per praeconem vbiuis explicari, cum STEPHANO in thesaur. L. G. T. II. p. 195. et CASAVBONO ad Athen. p. 593. V. C. ZEIBICHIO in disp. mox memoranda p. 4. multis argumentis comprobatur.

*c)* In binis dissp. de cerycibus mysticis Graecorum Witteb. 1752.

*d)* Munus praeconum non satis dignum fuisse habitum non Romanis solum sed etiam Graecis, alio tempore declarabo dilucidius.

*e)* Num cum GAMBISIO antiquitas ex interpretatione τῶν ὄ, quorum actas non antiquissima est, possit deduci, dubito.

*f)* Discrimen facit inter κήρυξ καὶ κήρυκος SCHOLIAST. THEVD

I, c. 29. p. 23. ed. DVKERI κήρυξ ἢ πολίμυς κήρυκος ἢ κήρυξ, cui suffragatur SCHWARZ in diss. de linguis Mercurio apud Graecos sacris praef. STRVNZIO Wirt. 1716. ventilata §. 12. Aliam vero, nec immerito, in sententiam iuerunt HADRIANVS IVNIVS in animaduers. p. 319. Roterod. 1708. et GAMBIS in diss. laudat. quo cum potius statuo discrimen quoddam interesse, nec vero semper obseruatum.

*g)* Κήρυκος penultimam produci praeter argumenta ZEIBICHIE V. C. p. 14. laud. disp. Etymol. M. p. 513. ed. SYLLBVRG 1594. adfirmat, τὸ εὐ inquit, μακρόν.

*h)* V. G. 10. LAVRENTIVS de praeconibus citharoedis, fistulis, ac



qui de his vel carptim, vel *ὡς ἐν παρόδῳ*, vel testimoniis auctorum non rite indicatis, egerunt, in his recensendis nefas duco me esse verbosum.

QUANTA apud Graecos valuerint auctoritate, *i*) ex officiis, quibus functi sunt, et quae ipsis cum splendorem famae, tum etiam, occasionibus quibusdam datis, diuitias opesque attulerunt, satis superque patescit. ALEXANDER AB ALEXANDRO, *l*) non nunquam, ait, *Eumolpidae et praecones publico concilio praefuere*. Praecones domi militiaeque insignia praestiterunt officia. Domi concilia conuocarunt; silentium indicarunt solemnibus formulis; ad perferenda nuntia, hominesque arcessendos sunt missi; funera indixerunt; in certaminibus sacris nomina victorum publice recitarunt; populo declararunt voluntatem regis aut ciuitatis; res venales, atque adeo captiuos quoque *m*) hastae subiecerunt; vt de sacris eorum taceam muneribus. De quibus licet FEITHIVS, *n*) HADRIANVS IVNIVS, GAMBSIVS ll. citt. sunt commentati, antea tamen quam bellica attingimus officia, age! pauca de iis in medium proferamus. Concio a praecone conuocata *ἀγορά* dicebatur; *βουλή* erat, quum soli selecti optimates seorsim conuenirent. *o*) Opera praeconum vsi sunt Graeci in ar-

*sintinabilis* in thesaur. Gronou, T. IIX.

HADRIAN. IUNIVS l. c. aliique.

*i*) ἀσπλοὶ καὶ θεῖον ἢ τὸ γένος τῶν κηρύκων Scholast. minor obseruat ad HOMER. ll. *α* p. 334. ed. CAMERARII ex officina Heerwagiana. Achilles apud Homer ll. *α* v. 334. p. 35. T. I. ed. celeb. ERNESTI COS compellat

*κρίετα κήρυκες Διὸς ἀγγελοὶ, ἢ δὲ καὶ ἀνδρῶν.*  
*l*) In *Genial. dieb.* IV. p. 992. T. I. Lugd. Batav. 1673.

*m*) Quomodo venditio facta sit, docet egregie GAMBSIVS l. c. qui ritus a Romanorum sectione minime abhorret. Quid illo tritius: de lapide emitts. conf. Plaut. Bacch. III, 7, 17. De captiuis Graecorum XENOPHON Ages. I, 28, p. 217. ed. BACHII et PAUSANIVS VII, 16. hoc commonstrant.

*n*) In antiquitatibus homer. cum primis. II, c. 5. ed. V. CEL. STOEBERI Argentorati 1743.

*o*) cf. STRODTMANN in *specimens*

cessendis hominibus p) atque adeo, si aliquis dux siue alius ciuitatis princeps ob ingrati erga patriam animi suspicionem aut ob crimina, e loco, vbi adhuc commoratus erat, in iudicium vocandus esset. Cuius rei testem habeo grauissimum scriptorem ΤΗΥΚΥΔΙΔΕΜ. q) Quum enim ab Lacedaemoniis per praeconem Paulanias, ob facta haud decora ipsius suspectus, domum reuocaretur, ita quidem ille: Οὕτω δὴ ἐπέτι ἔπρασχον, ἀλλὰ πέμψαντες κήρυκα οἱ ἔφοροι καὶ στυάδην, ἔειπον τῷ κήρυκος μὴ λείπεσθαι. Εἰ δὲ μὴ, πόλεμον ἀντὶ τῶ Σπαρτιάδαε προσαγορεύειν. In certaminibus ritus quosdam a praeconibus esse obseruatos, nominaque eorum, qui superiores pugna euaserant, fuisse proclamata stentorea, vt dicunt, voce, iam testimoniis fultit GAMBSIUS diss. cit. nec falso: attamen hoc tantum de sacris certaminibus, neque enim omnia certamina erant sacra, et de agonibus σεφαιήταις esse intelligendum, vir post funera immortalis, SCHVLTZIVS, r) ornamentum quondam academiae Halensis, commonstrauit. Neque tamen in certaminibus solum populo rem nouam, siue victoriam, significarunt; sed pluries quoque, quum iussu aut principis aut ciuitatis vel noui quid; vel quod populi putabatur interesse, publice indixerunt, Periander Capfyli filius, Corinthiorum tyrannus, filio suo expulso, quum, ne quis eum exciperet, publice vetaret, hoc per praeconem factum esse, relatum legimus apud

secundo differunt. graecarum Hamburg. 1745. et cel. STOEBER ad FRITH. l. c. p. 25. d. 1034. v. 1035.

p) Conf. Hom. II. α' T. I. p. 34. edit. laudar.

q) L. I. c. 131.

r) In disput. obseruati. quasdam ad rem arthleticam pertinentes com-

plexa. Halae 1737. obs. I. coll. obs. III. vbi contra FABRYM omnes ludos sacros esse negat. Σεφαιήταις opponuntur διεσταί. I. κερυγίταις de quibus IDEM l. c. conf. PASCHELIUS de coronis VI, c. 12. p. 375. Lugd. Batav. 1671. vbi etiam de coronatis praeconibus agitur, qui socios voce superarunt.

HERODOTVM. 5) AELIANVS, 2) Clazomeniorum  
petulantia atque insolentia, qui thronos Ephororum fu-  
ligine inunxerunt, lepide recensita, addit: ἔφοροι τὸν  
δημόσιον κήρυκα καλέσαντες προσέταξαν, αὐτὸν δημοσίᾳ κη-  
ρύξαι τῷτο δὴ τὸν θαυμασόμενον. Ἐξέτω κλαζομένοις εἰσχη-  
μένον. Munus a praeconibus publice administratum in  
circulo quodam esse, et loco elato πολητηρία siue πρατη-  
ρία, lapideque, λυδῶς πράτης siue τράπεζα dicto, quo ab  
omnibus et conspici, et commode audiri possent, non so-  
lum ex Polluce a GAMBESIO l. c. p. 34. iam citato, sed  
ex testimoniis quoque HOMERI atque AELIANI liquet.  
Ille enim u) sceptrum a praecone traditum fuisse Menelao  
in manum, seniores autem

εἶατ' ἐπὶ ξεστῶσι λυδοῖς ἱερῶ ἐν κύκλῳ

perhibet. Hic vero, x) quum commemorat, Socratem  
Alcibiadi tunc adolescenti, ad animum eius confirmandum  
excitandumque, ne in populi concionem prodire timore  
perturbatus recusaret, tutorem et deinde praeconem osten-  
disse, quaerentem ex illo; num hos contemnat, nec ne?  
haec profert: ἔτι καὶ ἐκείνῃ τῷ ἐν τοῖς κύκλοις κηρύττοντος  
(ὁὐ καταφρονεῖς;) Atque de quibus nunc disputamus, prae-  
cones, quum in rebus, ad rempublicam pertinentibus, tan-  
ta splenderent dignitate, sane mirum non est, ipsis in-  
ter Athenienses lustrationis dignitatem fuisse propriam;  
prouti apud ATHENAEVM γ) sequentia legimus:

καὶ

s) L. III. c. 52. p. 180. edit. GROMOV.

e) V. H. II, 14. ed. ABR. GRO-  
NOV.

u) III. ψ. quem locum debeo  
STEPHANO in thes. G. L. T. II.  
p. 191.

x) V. H. L. II. c. l. p. 69. ed.

laud. et haec est causa, opinor. cur  
MATTHAEVS X; 27. κηρύξατε ἐπὶ  
τῶν δωματίων vsurparit, cum antea di-  
xerit ἰσχυρῶς ἐν τῷ φωνῶ.

γ) Dipnos. VI, 6. quem locum  
acceptum refero LOMMEIERO in  
libr. de veterum gentium lustrationibus  
c. 13. p. 150. Zupphan, c. 13. c. c.

B

καὶ τῷ κήρυκε ἐκ τῆς γένεος τῶν κηρύκων τῆς τῶν μυσθηρώτιδος.  
 Quare, quum eam, quam Deorum cultores Mercurio  
 adūxerunt, administrarent prouinciam, ipsis aequè ac  
 Mercurio ex caesa victima linguas esse datas, auctor exstat  
 ALEXANDER AB ALEXANDRO. 2)

HAEC erant officia, quae in statu reipublicae ciuili, licet ne-  
 xu quodam ciuitas cum alia non cohaereret, sunt praecones  
 exsequuti. At vero in hospitiiis quoque principum fecerunt  
 imperata, quum alter alteri, a quo tesseram acceperat hospita-  
 lem, per illos vel amicitiam firmaret, vel eum consule-  
 ret. Praeclarum prostat exemplum apud HERODOTVM. a)  
 Ἐπεὶ Περιάνθρος κατ' ἀρχαῖς μὲν ἦν ἠπιώτερος τῆ πατρὸς.  
 Ἐπεὶ τε δὲ ἀμῆλισε δι' ἀγγέλων Θρασυβέλῳ τῷ Μιλήτῃ τυ-  
 ράνῳ, πολλῶ ἔτι ἐγένετο κυψέλα μαίφονώτερος. Πέμψας γὰρ  
 παρὰ Θρασύβελον κήρυκα, ἐπυθάνετο, ὅτινα ἀν' τρόπον ἀσφα-  
 λέστερον κατάσπόμενος τῶν πραγμάτων κάλλιτα τὴν πόλιν ἐπι-  
 τροπέει. Hinc etiam, ut sibi cauere de instanti periculo, per  
 praeconem eum, quocum fecit hospitium admonuisse alte-  
 rum, eundem grauissimum habeo testem scriptorem. b)

QUANTA vero domi erant dignitate praecones,  
 tanta, quin maiori valebant militiae auctoritate, vel in  
 bellis parandis, seu indicendis, vel in pace facienda, ubi  
 praesertim τῷ κηρηκίῳ, c) ut ἄσυλοι essent, vsi sunt.  
 Quum vero Romani plurimos ritus ex Graecia deduxe-  
 runt, praecones Graecorum easdem obseruasse consuetu-  
 dines, quas fetiales apud Romanos et caduceatores, ut  
 credam, facile adducor. Qui de praeconibus Graecorum  
 ex instituto commentati sunt, si euolueris, ad inducias pe-  
 tendas, bella indicenda, federaque pangenda illos missos  
 esse

2) In l. c. L. IV. c. 17. conf.  
 SCHWARZIVS in disp. laud.

a) L. V. c. p. 321. ed. memor. et  
 loco mox citando Perianthrum Tra-  
 sýbulo Milefiorum tunc tyranno  
 ξένος ἐῖς τὰ μέγιστα fuisse legimus.

b) L. l. c. 20. p. 8.

c) Cuius descriptionem nobis ser-  
 uarum SCHOLIAST. THVCYD. l. 52.  
 p. 37. ed. DVCKERI; SVIDA  
 ΕΤΥΜΟΛ. M. sub his vv. aliisque.

esse, memorantes tantumprehendes. Quid vero ante, quam alios, ad bellum prouocarent, siue bella deprecarentur, siue denunciarent ea, siue federa sancirent, ab illis obseruatum sit, alto silentio inuoluunt. Hinc vero oratio mea latius digredi posset, omnino haberem, nisi limites huic scriptiunculae mihi praescriptos iam transgressus essem. Qua propter, ductis tantum primis quasi lineolis, alii occasioni, si Deus vitam siuerit viresque, horum explicationem reseruabo vltiorem.

VETÈRES Graeci, quorum vitae morumque elegantiam antiquitas inculta mirata est, et romana ciuitas, depositis moribus agrestibus, ad ciues imitata potius, nec tam incauti erant, nec tam iniustum, nisi certas ob rationes fuerit ἀκέραιον, bellum egerunt, quum gentes vicinas magnos exercitus comparantes, aut finibus eorum adpropinquantes, viderent, vt illis bellum statim inferrent, vt potius, officiis humanitatis atque prudentiae expletis, praecorum opera mentem aliorum explorare, causas belli ipsis imminentis anquirere, pericula, salua auctoritate, depellere, rationes, quibus coacti bellum mouerint, aliis denuntiare consueuerint. Belli declarationem per praecorem siue fetialem factam esse, praeter alia, ab aliis adducta testimonia, proferam vnicum illud THUCYDIDIS. d) κοῖνωι προπέμψαντες κήρυκα πρότερον πόλεμον προεξόντα κερυραίοις. Hoc vero iam misso, gentium ritus quosdam, cum ante bellum indictum, tum post illud illatum obseruatos, nunc considerabimus. Infirmiuitatis suae conscii auxilium circumspectiunt; id quod veteres, ne essent hostibus inferiores, etiam antea tenuerunt, quam aut alios bello prouocarent, aut ab aliis iam inuasi, ab illorum telis se defenderent. Qui copias subsidiarias, iam ex pacto promissas, nomine ciuitatis peterent, aut eas implorarent, erant praecores. Prodeat testis HERODOTVS e) hoc

B 2

in

d) Libr. I, 39. p. 13. ed. cit.

e) L. I. c. 77. p. 31.

in describendis bellis saepius memorans, ἔπειπε, scribens, κήρυκας κατὰ συμμαχίας, προερέοντας ἐς πέμπτον μῆνα συλλέγεσθαι ἐς Σαΐδας. *Idem* f) τοῖσι ἴωσι ἔδοξε, κοινῶ λόγῳ πέμπειν ἀγγέλους ἐς Σπάρτην δεησομένους ἴωσι τιμορῆειν. Auxiliatribus vel etiam suis ipsius, quibus abundabat, copiis freta ciuitas, qui exercitum colligentes, aut ipsi videbantur periculosi, aut maiestatem violare conabantur, eorum, nondum adhibita feueritate, per praecones, folleminibus quibusdam obseruatis formulis, mentem explorare, aut animum populi declarare consueuerunt, aut facinoribus desistere, et pacem colere iusserunt, quod ex ΤΗΥ-  
 CYDIDE g) plane cognoscemus. Corinthii, quum bellici Atheniensium adparatus fatales sibi fore viderentur, praecones, horum mentem exploraturos, mittere ad hos decreuerant. Missi vero haec protulerunt: Ἀδικεῖτε ἂ ἄνδρες Ἀθηναῖοι πολέμῳ ἄρχοντες, καὶ σπονδὰς λύοντες. Ἡμῖν γάρ πολεμίαις τὰς ὑμετέρας τιμωρομένοις, ἐμποδῶν Ἰσαδάμ, ὅπλα ἀνταρῶμενοι; εἰ δ' ὑμῖν γνώμη ἐστὶ, κωλύειν τε ἡμᾶς ἐπὶ Κέρκυραν, ἢ ἄλλοσε, εἴποι βεβλόμεθα, πλεῖν, καὶ τὰς σπονδὰς λύετε, ἡμᾶς τὰς δὲ πρότερον λαβόντες, χρῆσασθαι ὡς πολεμίαις. *Dictis non minus addit ponderis PAVSANIAS. h)* Ἐς τῆτον μῆμα Μεγαρεῦσι ἐστὶν ἀνοσιώτατον ἔργον, αἱ κήρυκα ἐλθόντα, ὅς μὴ τὰ λοιπὰ τὴν χώραν ἐπαργάζοντο, κτένευσιν Ἀνδεμόκριτον. Neque vero ab re esse puto NONNI i) addere testimonium, qui, quum bellum Bacchi fingeret cum Deriade, Bacchique feriale cornutum Scelimum Iepide describeret, haec illum cecinisse refert:

Δηριάδῃ

f) *Ibid.* c. 141. p. 58. conf. L. V. c. 8. p. 327.

g) L. I. c. 52. p. 37.

h) *Attic.* c. 3. p. 88. de ΚΥΗΝΗΙ.

i) NONNI PANOPOLITAE in *dionysiacis* L. XXI, 26. sq. p. 567. sqq. Hanou. CIΘIOCK. typis Wecheliani. Adde, HERODOT. III, 115. p. 167.

Δηριάδῃ σικηπτῶχε, θεὸς Διόνυσος ἀνώγει  
 Ἴνδοις δεχνημένους λαθιμηδέος οἶνον ὀπάρεις  
 Σπένδειν ἀθανάτοισι δίχα μόχθων.  
 Ἐὶ δέ κε μὴ δέξαντο κορύσσεται εἰσόκῃ θύρσοις  
 Βασσαρίδων γόνυ δέλον ὑποκλίειεν Ἰθάσπης  
 Ἀγγελίης ἤκυσας ἀληθείας. Εἰπέ κῆ ἀυτὸς  
 Εἰρομένω τινα μύθον, ἢ ἀγγείλω Διονύσῳ.  
 Deriade rex, Deus Bacchus iubet  
 Indos accipientes curas fallentis vinum vitis  
 Libare Diis sine bello, sine labore;  
 Si vero non acceperint, armatur, donec Thyrsis  
 Bassaridum genu feruile inclinet Hydaspes,  
 Nuncium audiens verum. Dic et ipsē  
 Interroganti aliquod verbum, vt nuntiem Baccho.

Quodsi vera neuter pacis accipere conditiones, alter  
 vero alteri bellum inferre sustinuit, tum armis sumtis  
 parabatur bellum, quod quidem, quibusdam ritibus obser-  
 uatis, certis formulis indixerunt sollemnibus. LYCVR-  
 GVS I) quamdam memoriae tradidit. οὕτω ἐφίλεν, inquit,  
 τὴν πατρίδα πάντες, ὥστε τὸν παρὰ εἰρῆς πρεσβευτὴν Ἀλέξαν-  
 δρον - - ὅτι γῆν κῆ ὕδωρ ἤτησε, μικρὰ δὲν κατέλευσαν.  
 Formula igitur erat, γῆν κῆ ὕδωρ αἰτεῖν. Inter armorum  
 strepitus leges humanitatis Graeci, humanissimus popu-  
 lus, penitus numquam transgressi sunt, sed caede facta oc-  
 cisis iusta persoluerunt; quod quo tutius peragerent, ab  
 B 3 hosti-

I) or. contra Leocrat. c. 17. p. interdum deditiois postulandae  
 190. ed. cel. HAVETMANNI Lips. conf. not. cl. edit.  
 1753. haec formula erat quoque

hostibus per praecones *m*) petierunt inducias. Hoc vero notatu haud indignum est, eos saepius, si dux aut copiarum princeps telo ictus, aut alio quo casu interiisset, vnus huius sepeliendi causâ inducias agitasse. Ita enim LYCVRGVS *n*) Οἱ μὲν Ἀθηναῖοι κήρυκα πέμψαντες ἤξιον δέναι τὸν βασιλέα θάψαι. Aliis quoque de causis, dum bellum gerebatur, ab dimicantium altero ad alterum missi sunt praecones. Duo proferam scriptores, quorum auctoritas sane maxima est, et grauissima. Apud HERODOTVM *o*) relatum legimus Alyaten ad Thrasybulum Milesiorum tyrannum, nuntio a Pythia reddito, vt aedificaret Mineruae templum, in hostis situm terris, ab ipsoque antea combustum, Miletum misisse caduceatorem βεβλόμενον σπονδὰς ποιῆσαι αὐτῷ θεασυβέλω τε καὶ μιλησίοισι χρόνον, ὅσον ἂν τὸν νηὸν οἰκοδομή. Alter est XENOPHON, qui *p*) Tissaphernem Satrapen regis Persarum cum imperio memorat, inducias cum Agefilao agitasse. Ita vero ille: Τισσαφέρης μὲν ὤμοσεν Ἀγσειλάφῳ, εἰ σπείσαιτο, εἰς ἔλθειεν, εἰς πέμψειεν πρὸς βασιλέα ἀγγέλους, διαπράξεσθαι, αὐτῷ ἀφεθῆναι αὐτονόμους τὰς ἐν τῇ Ἀσίᾳ πόλεις ἑλληνίδας. Praeter ea captiui vt redderentur, aut redimerentur, per praeconem hostem, siue victorem siue dolo eos capientem, rogarunt, aut, hoc vt faceret, minis extorserunt. Tomyris, Massagetarum regina, comperiens filium cibo vinoque obrutum a Cyro captum esse, πέμπασα κήρυκα παρὰ κυρὸν, qui eum discedere terris, filiumque reddere iuberet teste HERODOTO *q*). Si vero gens alterutra viribus inferior succumberet, aut periculum ingens, quod ipsi instabat, declinare constituisset, per praeconem superiori viribus copiisque se imperata facturam denuntiavit, seque subiecturam. Cuius rei luculentum existat

*m*) XENOPH. *Aggisl.* II, 16, ed.

BACHII.

*n*) *Or. cit.* c. 20, p. 314.

*o*) L. I. c. 27, p. 8.

*p*) *Aggisl.* I. p. 212, ed. cit.

*q*) L. I. c. 212, p. 85.



exstat documentum apud HERODOTVM: r) Ἴωνες καὶ Ἀιολεῖς, ὡς οἱ Ἀυδοὶ τῶχις καταγράφατο ὑπὸ Περσέων, ἐπεμπον ἀγγέλους εἰς Σάρδεις παρὰ Κύρον ἐθέλοντες ἐπὶ τοῖς αὐτοῖσι εἶναι τοῖσι καὶ κρείσσω ἦσαν κατοῖκε. Eos vero, re licet desperata et tempestatibus turbulentissimis, caduceatores misisse et fetiales, non est, quod miremur. Quos quum ex legibus naturae per consuetudinem populorumque consensum corroboratis, violare, summum duceretur nefas, et vbiq̄ue terrarum ἀστυλι ἢ essent; hinc fiebat, vt gens, a qua praeco occisus forte esset, optimo cuique iniuisa maximas daret poenas: id quod, praeter PAVSANIAM supra excitatum, STRABO s) testatur. Corinthii, qui partibus Philippi studuerunt, Romanos despexerunt, vsque eo, vt quidam in legatos eorum, domum suam praetereuntes, auderent coenum defundere. Quid vero mali inde enatum sit, Corinthii, vrbe deleta, sunt experti. Bello diu ab vtraque parte gesto, quum pacem desiderarent, praecones ad conuentus miserunt, cum iisque, armis depositis, federa sanxerunt. Quum multorum t) eruditione famaue nominis inclutorum industria in ritibus circa pacem federaque obseruatis, sit versata, scriinia eorum compilasse viderer, si forem in his recensendis verbosus. Hoc vnum addere liceat, Lacedaemonios plerumque tres misisse legatos, ad federa ferienda, exceptis iis rebus, quae minoris ipsis videbantur momenti, quod me CRAGIUS u) docuit.

PRÆCONIBVS Graecorum leges sibi praescriptas transgredi non licebat, nec ab illis poenae aberant maximae, licet

r) I. c. 141. p. 85.

s) Geogr. VIII. c. 33, p. 435. edit. XYLANDRI Basil. 1520.

t) POTTERVS Archaeol. III. c. 7. p. 469. sq. in *ibid.* Gronou. T. VIII.

u) PERIFFERVS in *antiquit. graecis* L. II. c. 50, p. 338. CAMBS. *diff. cit.*

Cl. SLEVOGT hinc inde in *differt. erud. de ritibus vet. et speciatim more Ebraeorum dissectione animalium transirique per eorum segmenta foedera inuendi*, Ienaë 1759. aliiq̄ue.

u) de republ. Laced. IV. p. 250. 1593. apud Santendreanum.

licet in summa verfarentur dignitate. Omnino habebant Graeci, cur istis leges quasdam praescriberent. Quam iniuste, quam nefarie saepius obiissent munus suum! Eos vero legibus quibusdam vere fuisse adstrictos, PLATO x) prodibit testis. Εάν ως πρεσβευτής τις ἢ κήρυξ καταψευδόμενος τῆς πωλεως παραβρεσβέυηται πρὸς τινα πόλιν, ἢ πεμπόμενος μὴ τὰς ἕστας πρεσβείας, ἐφ' αἷς πέμπεται, ἀπαγγέλλη, ἢ πάλιν ἀντὶ παρα τῶν πολεμίων, ἢ καὶ φίλων μὴ τὰ περὶ ἐκείνων ὀρθῶς ἀποπρεσβέυσας γένηται φανερός ἢ κηρυκείσας· γραφῆ κατὰ τῶντων ἕστων, ὡς Ἑρμῆ, καὶ Διὸς ἀγγελείας, καὶ ὅτι χρεὶ πάσχειν ἢ ἀποκτίνειν· εἰάν ὄφλη. Ex his cur LYCVRGVS y) Mene-laum legatum, qui pecuniam ab Amynta acceperat, in iudicium vocauerit, atque excitarit testes, perspectu haud difficile erit. Nec obscurum esse potest illud AESCHINIS z) δεῖ γὰρ τὸν κήρυκα ἀψευδεῖν, ὅταν τὴν ἀνάρρησιν ἐν τῷ θεάτρῳ ποιῆται.

QUAE de praeconum apud Graecos officii spicilegii quasi loco censui addenda, ad praesens haec sufficiant, quamquam multa restent, quae vel leuiter vel non satis adcurate ab aliis sunt excussa. Qui ritus a Graecis ad Barbaros et Romanos et ab his ad exteros praesertim Germanos sint translati, ab re nunc esse videtur, vt pluribus dicatur, vt pote cuique notissimum.

x) de legibus Dial. XII. statim z) orat. contra Cresiphontem p. 301. ab init. p. 982. edit. MARS. FICINI. in edit. WOLFII opp. Demosth. et y) contra Leocratem c. XII. §. 9. Aeschin. Aurel. Allobr. c. 1010 CVII. edit. Cl. HAVPTMANNI.



✓


CR 599

W01P



ULB Halle  
005 594 09X  
3





DE  
PRAECONVM APVD GRAECOS  
OFFICIIS  
DIATRIBE

CK215

QVA  
VIRO  
MAXIME REVERENDO DOCTISSIMOQVE  
IOANNI CHRISTOPHORO  
SILCHMULLERO

SERENISSIMI MARCHIONIS BRANDENBURGICO-CVLMBA-  
CENSIS A CONSILII SACRI SENATVS ET PRAESVLI DIOECEOS CVLM-  
BACENSIS LONGE MERITISSIMO INSPECTORI LYCEI  
QVOD CVLMBACI FLORET GRAVISSIMO

PATRONO SVO AETERNVM VENERANDO

DE  
NVPTIIS

MENSE MAIO CIOCCCLX  
CVLMBACI CELEBRATIS  
PIE GRATVLATVR

THEOPHILVS CHRISTOPHORVS HARLES

CVLMBACO-FRANCVS SS. ET LL. DD. C

SOCIETATVM LATINAE IENENSIS SODALIS ORDINARIVS  
ET TEVTONICAE ALTORFINAE HONORARIVS.

IENAE LITTERIS SCHILLIANIS.